

- ⁸ **F**acta est quædam dies,
et transíbat Eliséus per Sunam.
Erat autem ibi múlier magna,
quæ ténuít eum, ut coméderet panem.
Quotiescúmque inde transíbat,
divertébat ad eam, ut coméderet panem.
- ⁹ Quæ dixit ad virum suum:
«Animadvérto quod vir Dei sanctus est iste,
qui transit per nos frequénter.
- ¹⁰ Faciámus ergo cenáculum murátum parvum
et ponámus ei in eo léctulum
et mensam et sellam et candelábrum,
ut, cum vénerit ad nos, máneat ibi».
- ¹¹ Facta est ergo dies quædam,
et véniens divértit in cenáculum et requiévit ibi.

[12-13]

- ¹⁴ Et ait:
«Quid ergo vult, ut fáciam ei?».
Dixítque Giézi:
«Ne quæras;
fílium enim non habet, et vir eius senex est».
- ¹⁵ Præcépít ítaque, ut vocáret eam;
quæ cum vocáta fuísset et stetísset ad óstium,
- ¹⁶ dixit ad eam:
«In témpore isto, in anno áltero, amplexáberis fílium».
- Verbum Dómini.